



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Ad Vnum Corpus Redactus

Philosophiæ R. P. Francisci De Oviedo Madritani Societatis Iesv Sacræ
Theologiæ Professoris Tomus II

**Oviedo, Francisco de
Lugduni, M.DC.LI.**

Controversia XIII. De speciebus impressis potentiarum materialium &
spiritualium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95526)

25 Obiic. quinto: Volitio libera quæ dependet à duplici hac cogitatione dependet ab utraque per se & immediate: ergo non potest non dependere ab utraque: ergo non potest non esse libera. Respondeo antecedens esse falsum, sæpe enim dixi volitionem non dependere à cogitatione retrahente ab illa, & modò assero neque per se dependere ab hac cogitatione inuitante, esset enim eademmet volitio variata cogitatione, ex vi cuius elicitur, dummodo cognitio variata repræsentet idem obiectum, & dixi posse de potentia Dei absoluta dari hanc numero volitionem absque illa cogitatione, sed adhuc admissio antecedenti, non tenet consequentia, quia positus his duabus cogitationibus potest hic actus non esse liber ex diuerso modo, quo Deus in hunc numero actum influeret per decretum antecedenter efficacem independentem à determinatione, voluntatis ratione cuius etiam modò liber sit tunc esset necessarius.

26 Sextò obiicies: Actus liber habet perfectiorem rationem voluntarij: sed ratio voluntarij est intrinseca actui: ergo habet perfectiorem rationem intrinsecam actus liber quam habet necessarius. Resp. rationem voluntarij in hoc statu duo dicere, exigentiam dependendi actus à cognitione, & dependentiam actualem à tali cognitione: exigentia dependendi est intrinseca actui voluntatis, dependentia actualis ab hac vel illa cogitatione est extrinseca, & secundum hanc rationem crescit perfectio voluntarij in actu libero, qui ratione libertatis habet maiorem perfectionem in ratione voluntarij. Ad argumentum in forma, Resp. Actus liber habet rationem perfectiorem voluntarij secundum id, quod actus voluntatis dicit intrinsecè in ipso actu, nego; secundum id quod pertinet ad rationem voluntarij tanquam quid extrinsecum actui, concedo: sed ratio voluntarij est intrinseca actui, distinguo minorem, secundum totam rationem quod dicit hoc perfectius voluntarium, nego: secundum aliquam rationem, concedo: ergo actus liber habet perfectionem aliquam intrinsecam, quam non habeat actus necessarius, nego consequentiam. Dixi rationem talis voluntarij dicere aliquid extrinsecum huic actui, de quo est disputatio, & abstraxi in argumenti solutione ab illa questione: An ratio voluntarij ut sit fit intrinseca actui, si tamen desideras huius questionis solutionem Resp. dependere ex alia questione videlicet in quo formaliter consistat ratio voluntarij ut sit. Si hæc ponatur in exigentia dependendi à cognitione, certum est esse adequatè intrinsecam actui voluntatis, qui per suam entitatem petit procedere à cognitione. Si ponatur in dependentia actuali volitionis à cognitione, ad huc non potest dici rationem voluntarij esse intrinsecam actui, hoc est illi conuenire per suam entitatem, quod sic probo. Omnis volitio sumpta in particulari potest dependere ab hac vel ab illa cognitione: ergo nulla singulariter sumpta dependet per suam entitatem ab hac cognitione, quia si ita dependeret non posset non dependere, quod enim alicui entitati per se conuenit, nunquam abesse potest: ergo neque volitio in communi per se dependet à cognitione in communi, quia dependentia in abstracto sumenda est eodem modo, quo est in indiuiduis præcisè hac vel illà differentia, & si volitio in communi haberet hoc, quod est per suam entitatem dependere à cognitione, hoc prædicatum esset in qualibet volitione in particulari, & non posset aliqua singularis volitio hanc dependentiam non habere. In alio sensu posset hæc dependentia in communi dici intrinseca, non quia conueniret volitioni per suam entitatem, sed quia adhuc de potentia absoluta non posset ab illa separari, sed adhuc hoc modo affirmo dependentiam actualem volitionis à cognitione, neque rationem voluntarij in hac dependentia constitutam non esse intrinsecam actui voluntatis, quia de potentia Dei absoluta potest volitio fieri sine cognitione, in quo casu ab illa non dependebit, neque erit actu voluntaria, si ratio voluntarij actualis constituatur per dependentiam actualem volitionis à cognitione.

27 Obiicies septimò. Potentia libera differt essentialiter à necessaria: ergo actus liber differt essentialiter à necessario. Resp. comparisonem fieri posse inter potentiam naturæ suæ necessariò operantem, & libertatis incapacem, sicuti intellectus, aut potentia visiva & potentiam ex natura sua liberam, vel inter potentiam necessariam ex defectu alijs prærequisitis ad libertatem, quod potest habere, sicuti inter voluntatem præuentam cogitatione obiecti

tantum sub ratione boni, quæ necessario illud amat, & voluntatem præuentam cogitatione bonitatis, & malitæ in obiecto in actu primo potente amare, & non amare. Si prioris acceptione essentialiter differentis comparatio fiat inter potentias secundum modo acceptas, non different essentialiter, sed tantum accidentaliter per cognitionem, vel aliud principium cum quo de facto coniungitur hæc potentia, & non alia, quæ cum illo coniungi potest. Eodem modo philosophandum est in actu intellectus, qui formaliter non potest in se esse liber, & essentialiter differt ab actu voluntatis, siue libero, siue necessario, qui libertatem potest habere. Actus verò voluntatis, qui necessariò sunt productus, & liberè potuit produci, non differt essentialiter ab alio actu voluntatis circa idem obiectum liberè elicitum, quia uterque potuit esse necessarius, & uterque liber, & libertas actualis, quæ est in hoc, & non in illo tantum dicit indifferentiam ex parte principij extrinsecam actui.

CONTROVERSIA XIII.

De speciebus impressis potentiarum materialium, & spiritualium.

PECIES sunt qualitates quædam, quæ potentias complent in ordine ad actus intentionales scilicet materiales, quæ sunt spirituales; ideo placuit de illis disputare, postquam iam explicaueram naturas omnium potentiarum. De illis variæ quæstiones exagitantur: sunt autem in quibus potentiis à quæ sit illarum causa? quomodo ad actus concurrant? Quas quæstiones latè chartæ scripsere auctores antiqui, atque moderni. Conimbricenses legito lib. 2. cap. 6. & lib. 3. cap. 5. apud quos ad satisfactionem pro quacunque sententia peruectus inuenies auctores: quidam enim species omnibus potentiis denegabant; alij eas potentiis materialibus concedebant, & spiritualibus negabant; alij omnibus potentiis iuxta diuersas illarum naturas has species largè impertiuntur: quos hic referri plus molestia, quam utilitatis afferret lectori, qui apud plurimos omnium opiniones relatas inueniet; adducam tamen nonnullos inter meas conclusiones explicandas. Quæ de hac re cõmonis sententia docuit stricto calamo scribam, quæ autem minus communia sint laxiori tractabo, in omnibus pertingam omnia, quæ ad plenam, atque perfectam rei intelligentiam mihi necessaria visa fuerint.

PUNCTVM PRIMVM.

An dentur species sensuum externorum.

S. I.

De speciebus visus.

SIT CONCLUSIO. Potentia visiva indiget speciebus, sed ad proprios actus exercendos. Hæc docent omnes, qui species in aliqua potentia admittunt, in nulla enim argumenta adeò efficacia pro speciebus defendendis reperiuntur. Sit primum huius conclusionis argumentum ratio desumpta ex manifesta experientia: Color, & lux sub distantia non modica videntur: ergo color, & lux concurrunt ad visionem alijs in quacunque distantia: imò etiam si non extisterent, possent videri, sed non concurrunt immediate & per se: ergo medio aliquo effectui ab illis producti. Minorem probo: Color, & lux distant à potentia: ergo non possunt per se, & immediate concurrere.

Dices lucem, & colorem distantem saltem approximari potentia media luce existente in medio. Contrà: Do, obiectum posse media luce approximari, sæpe inter obiectum visum, & potentiam visivam nulla intercedit lux, quæ videri possit, ut cum quis existens in specu perobscuro videt obiectum

obiectum lucidum, existens extra specum: ergo tunc obiectum illud non approximatur media luce existente in medio: ergo media specie ab illo producta.

3 Secundò probatur: si inter obiectum videndum, & potentiam visivam ponatur corpus opacum, impeditur visio: ergò, quia corpus opacum non est medium aptum, ut per illud diffundatur actio obiecti, sed hoc non potest concurrere per se propter rationem dictam: ergo concurrat medio effectui à se producto productiuo visionis, seu speciei expressæ, qui effectus, seu virtus productiva speciei expressæ, species impressa appellatur.

4 Efficacius probatur eadem conclusio exemplo reflexionis factæ in speculo, quod si facie obiectas, reddit illius imaginem eodem modo, ac si te ipsum tibi ante oculos obiectes, quod fieri non potest, quin obiectum visum aliquem diffundat effectum per medium, qui speculum tangens, iterum reflectat, sicut lux in crystallo, & in pariete color, & aliæ huiusmodi qualitates. Eadem reperitur reflexio, licet non adeo perfecta in aqua, in chalybe, lacte, aliisque quam plurimis corporibus, maxime in diaphanis.

5 Deinde probatur eadem conclusio ex perspicillii, mediis quibus videtur obiectum iam clarius, iam obscurius, maius, vel minus secundum diversitatem perspicilliorum. Insuper dantur perspicilla ita elaborata, ut vnum obiectum, ita multiplicent, ut multiplex appareat. Talia sunt perspicilla rotunda in plures partes, quasdam aliis eminentiores per acutos angulos diuisa, quæ vulgo *achauados* dicuntur. Deinde lapis philosophicus, seu triangulare vitrum ita representat obiecta, ut illa inter se confundat, & multiplici, apparentique variegata colore potentia illa representet, quæ omnia fieri non possunt, quin aliquod principium detur visionis diuersum secundum medijs diuersitatem, quod ab obiecto procedit, & species impressa dicitur.

6 Ex experientia adducta vitri triangularis rationem colliges, propter quam, quando in eodem speculo sunt diuersi circuli in quolibet illorum totum repetatur in obiectum, quod non repetitur in toto speculo quantumvis grandi. Circuli enim aguntur linea extrema acuta illos diuidere figura, seu positione à reliquo speculo, ratione cuius lineæ species, quæ reflectuntur à quolibet circulo non cōtinuantur cum aliis in simplici representatione obiecti, sed species cuiuslibet circuli adequatè obiecti figuram representat. Idem continget, si duo specula coniungas non eandem rectitudinem habentia, sed efformantia angulum quemdam acutum ea parte, qua coniunguntur, tunc enim quodlibet illorum adequatè representabit obiectum, siue physicè sint vnita, siue diuisa: si autem eadem specula ponas supra mensam planam vnum alteri coniunctum, ita ut illorum iunctura nullum efformet angulum, eodem modo in vtroque faciem videbis, ac si esset vnum tantum speculum, mediam, videlicet, in vno, & mediam in alio.

7 Dubitatis circa reflexionem speculi: cur obiectum representetur distans ab alio. Resp. speculum, & quoduis aliud corpus reflectens species reflectere representatiuas obiecti in tanta distantia, quanta illud representarent species directæ in speculo existentes. Inde quò magis quis accedit à parte antea ad speculum, eo videtur magis accedere à parte post illius figura, existens post speculum, & magis recedere, quò magis obiectum visum ab speculo recedit.

8 Ex hoc poteris cognoscere rationem propter quam turris visa in qua ordine videatur inuerso, fundamentum eminentius, & suppressior pars illius extrema: cum enim fundamentum sit magis propinquum aquæ, species reflexæ illud representant cum maiori propinquitate; cum verò pars superior turris magis distet ab aqua, hæc reflectit species, quæ illam magis distantem representent, ratione quarum fundamentum turris apparet, quasi superius parte superiori eiusdem.

S. II.

De speciebus aliorum sensuum.

9 **P**RIMA CONCLUSIO. Sonus, qui est obiectum auditivæ potentia non percipitur medijs speciebus, sed immediatè simul cum potentia sui sensationem producit. Hæc conclusio est contra P. Soar lib. 3. de anima cap. 21. contra Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

Hurt. disp. 12. sect. 1. & contra Arriaga disp. 4. sect. 1. subsect. 3. Patronos habet Ochamum in 2. q. 17. & 18. Gabrielem q. 2. Greg. in 1. dist. 3. q. 1. & in 2. dist. 7. q. 3. qui negant omnibus potentiis externis species impressas. Hac vnica ratione illam persuadeo: quotiescunque percipitur sonus, est sufficienter approximatus, ut immediatè, & per se producat sensationem sui: ergo non indiget speciebus superadditis, ut sentiatur. Consequentiam probor totum fundamentum assignandi has species desumitur ex distantia obiectorum, ut per se ipsa immediatè suas sensationes producant, propter quam non illis possumus tribuere tanquam principiis immediatis influxum in sensationes, quibus percipiuntur, sed mediatum tribuimus ratione specierum, quæ immediatè procedunt ab obiectis, & sensationes producant tanquam principia immediata, medijs quibus obiecta concurrant: ergo destructo hoc fundamento nullum remanebit ad has species, quas ex alio capite non cognouimus constituendas: ergo non constituendæ, sed abigendæ sunt: ergo. Integra erit huius conclusionis ratio, si probem illud antecedens, quò posui, sonum esse sufficienter approximatus potentia ad suas sensationes immediatè edendas.

Obicit primo Arriaga loco supra citato, ex reflexione soni, quæ fit Echo, inferri specierum reflexionem. Resp. Echum fieri per reflexionem soni realis; non verò specierum intentionalium. Hanc conclusionem impugnatur, quia dici nequit, eundem numero sonum ferri ab aere, & iterum ad potentiam redire. Hoc fateor, ego enim non affirmo, reflectere eundem numero sonum, sed alium productum à primo, vel à sono existente in obliuente, quod Arriaga non impugnatur.

Obicit secundò. Cum quis concionatur, duo, aut tria milia hominum audiunt integras voces: implicat autem, integrum aërem, in quo vox efformatur, ad omnium aures provenire, neque pervenire potest alius sonus similis, quia nullus dicit Ecclesiam esse repletam voce sicut dicimus, esse odore plenam: ergo ex eo, quod sentimus vocem non diffundi per totam Ecclesiam, & odorem diffundi.

Respondeo omnes audientes eundem concionatorem eandem vocem percipere, id est, eundem sonum immediatè productum à concionatore, non per applicationem immediatam eiusdem soni ad omnium aures; sed medijs alijs sonis similibus eiusdem rationis, productis à sono immediatè concionatore producto. Ad confirmationem. Resp. Nullius esse momenti: illius fundamentum tantum sumitur ex communi modo loquendi, qui non semper ex nativis reum trahit originem; sed ex vulgari apprehendendi modo, qui multoties longè aliter attingit res, quam sunt in se. Sed ad illud, quodcumque sit. Respondeo: Vocem non dici quemcumque sonum, etsi omnino similem sono producto immediatè ab animali: sed importare sonum immediatè ab animali productum, qui tantum est in parte aëris immediata concionanti, vel alio modo vociferanti; & ita, quamvis totum cubiculum repletum est sono, non tamen repletum est voce.

Obicit Arriaga: Eodem modo posse dici colorem videri medio alio. Hoc non posse dici, adhuc de luce, probavi semel, & iterum, & de colore certissimum est, quia aer non est capax coloris, quod à posteriori nobis constat. Deinde, quia color est qualitas natura sua diu durans ac proinde, si cum ego video colorem viridem distantem in arbore, aer colorem viridem recipiet amota arbore, aer permaneret viridis, quod asserere, falsum, ac ridiculum esset.

Obicit. Si produceretur sonus vsque ad aures, & sonus ibi existens produceret auditionem, non posset vllò modo percipi, ex qua parte veniret sonus, sicut non potest percipi in gustu, ex qua parte veniat sapor, quia sonus immediatus potentia non potest esse representatiuus obiecti distantis, scilicet, presentia soni loco distantis. Respondeo auditum non tantum percipere sonum immediatum potentia: sed etiam sonum distantem, qui simul cum propinquo sui ipsius, atque presentia propria speciem expressam producit. Ad exemplum de sensu gustus. Respondeo, pariter non tenere, quia, sicut in opinione aduersariorum hæc est mala consequentia: *Gustus non percipit saporem distantem: gustus non recipit species à suo obiecto*.

Q 2 ERGO

ergo neque auditus, ita in mea opinione, gustus tantum immutatur ab obiecto immediato concurrente per se ipsum: ergo auditus tantum immutatur ab obiecto immediato. Respondeo enim has potentias esse diuersas, cuius natura à posteriori nobis innotebit.

15 Obicit vltimò Arriaga. Tubulus positus in fundibulo deferuit furdastis, ad percipiendum sonum, sicut inspicilia ad videndum homini, cecitate laboranti: ergo, sicut hic recipit species visivas mediis inspiciliis, ille auditivas medio tubulo. Respondeo negando consequentiam, potest enim dici, tubulum deferuere ad recipiendum sonum realem, medio quo potentia immutatur, sicut tu asseris tubulum esse medium aptius aëre ad recipiendas species soni, & ita, medio illo, melius audiri, ego affirmo, esse medium aptius aëre ad recipiendum sonum, & ita melius audiri medio illo, quam medio aëre.

16 Satis clarè respondisse existimo omnibus argumentis, quibus auctores probant, necessarias esse species auditus, & quorum solutione apertè constat, ex defectu applicationis soni ad potentiam auditivam has species necessarias non esse, quod sufficiens est, ad illas negandas, quando enim agitur de entitatibus superfluis in rerum natura non admittendis efficax est probatio, clara, & manifesta solutio argumentorum, quibus illarum existentia propugnatur.

17 SECUNDA CONCLUSIO. Odor non sentitur mediis speciebus. Duplex conclusio, huius, & præcedentis vnum est fundamentum, solutiones argumentorum, quibus impugnantur, diuersæ. Dedi illas, quæ ad præcedentem conclusionem attinent, & quæ ad hanc spectant.

18 Obicit Soar: odor non potest alium odorem producere, cum sit qualitas secunda, resultans ex temperamento primarum qualitatium: ergo tantum diffunditur per cubiculum in tenuibus substantiis odoriferis, quæ non possunt ita replere cubiculum, ut realiter ad potentiam accedant: ergo tantum accedunt intentionaliter. Multa inuoluit hoc argumentum; omnia tamen valde incerta, quæ vix possunt, neque à priori, neque à posteriori probabiliter confirmari. Fateor enim: odorem primò oriri à temperamento primarum qualitatium, cur tamen odor ortus ex his, non poterit alium odorem immediatè producere in subiecto non habenti tales qualitates, sicut calor in igne erit à forma ignis, postea tamen calor ortus à forma ignis alium calorem immediatè producit in subiecto, in quo non est forma ignis. Ex eo enim, quod forma ignis calorem producat, non inferitur, omnem calorem producendum esse necessariò à forma ignis, sic de odore respectu temperamenti philosophare, quod probabilius puto, quia difficile possunt tot partes materiæ exhalari, quot reperiuntur cum hac qualitate in diuersis cubiculis, in quibus odorifera substantia fuit posita, & odorem relinquit.

19 Dices calorem non esse productum alterius coloris, quia oritur ex temperamento primarum qualitatium: ergo neque odor est productus alterius odoris. Nego consequentiam, color enim est qualitas specie distincta ab odore, cuius natura à posteriori cognoscitur impotens alium calorem producere, quod de odore non constat. Vnde nego, calorem ex eo præcisè non esse productum aliis coloris, quia oritur ex temperamento primarum qualitatium; sed quia ita oritur ex temperamento, ut non possit naturaliter oriri ab alio colore, quod ex sua natura habet, quæ tantum à posteriori nobis innotebit: & non à priori.

20 Deinde admitto: odorem non esse productum odoris, & subiectum huius tantum esse partes, qualesdam exhalatas substantiæ odoriferæ: nego tamen has non posse realiter ad potentiam peruenire, quia, etsi totum cubiculum non valeant replere, cum hæ partes exhalatæ non sint omnes continuæ, neque contiguæ, possunt ita per cubiculum diffundi, ut nulla sit notabilis pars spatij illius, quod non contineat aliquam partem substantiæ odoriferæ, quæ per aspirationem simul cum aëre ad odoratus organum realiter trahatur.

21 TERTIA CONCLUSIO. Obiecta gustus, & tactus immediatè producant proprias sensationes; non mediis speciebus. Hanc conclusionem docent Huradus, & Arriaga supra contra Soar lib. 3. de anima cap. 26. Facilius hæc conclusio probatur, quam præcedentes, quia hæc obiecta nunquam sentiuntur, nisi immediatè applicata suis potentiis: ergo nunquam indigent speciebus, suppletibus applicationem illorum.

Sensibile commune dicitur, quod pluribus sensibus percipitur, sicut figura, & præsentia, quæ duplex est, circumscriptiua, & definitiua; de vtraque est difficultas, an percipiat, & an obiectum percipi circumscriptiua, & specialiter de circumscriptiua, quæ aliquibus conclusionibus explicabo.

PRIMA CONCLUSIO. Visus, & auditus percipiunt præsentias suorum obiectorum. Probatur hæc conclusio, quia ego video vnum hominem distantem ab alio, & hunc post illum: ergo video præsentiam illorum. Respondent aliqui: videre hominem distantem ab alio, non esse videre illorum præsentias, sed aliud corpus medium inter vtrumque. Contrà. Videre corpus esse inter vtrumque, & hoc esse ad dextrâ, & illud ad læuam, est videre præsentiam illorum corporum. Non enim eo ipso, quod videam substantiam illorum, video, hoc corpus esse medium, & alia duo, hoc ad dextram, & illud ad sinistram; possent enim illorum substantiæ alio modo collocari, neque hoc corpus esse medium inter alia duo, est aliquid distinctum, sed omnino idem cum præsentia corporis mediij, & extremorum, ac proinde qui videt corpus medium inter alia duo, necessariò videt præsentiam illorum.

De auditu probatur eodem modo, quia, quādo audio sonum, planè sensu percipio, sonum primò produci ad hoc litus, & non ad illud, quod experientia manifestè coniunct.

SECUNDA CONCLUSIO. Visus percipit figuram mathematicam, v.g. rotunditatem, & longitudinem. Hæc conclusio constabit ex dicendis in metaph. vbi probabo, figuram mathematicam non distingui à præsentia, neque aliquid addere supra illam, in qua formaliter consistit distinctiua partium, quæ rotunditatem formaliter constituit, sed visus percipit præsentiam, & distantiam partium: ergo percipit figuram mathematicam.

TERTIA CONCLUSIO. Auditus percipit hanc figuram: adeo tamen imperfectè, ut intellectus non possit illam discernere ex vi sensationis auditus, sicut diximus, potentiam visivam videre colorem longè distantem secundum rationem genericam, & specificam, licet intellectus non possit ex vitalis visionis elicere conceptum respondentem huic complexo: color ille est viridis, neque illum discernere à reliquis coloribus. Prior pars conclusionis ex præcedenti probatur, quia hæc figura mathematica est idè cū præsentia, sed auditus percipit præsentiam: ergo figuram identificat cū illa. Quod verò illa imperfectè percipiat patet, quia auditus non valet discernere inter diuersas partes soni, sicut visus discernit. Deinde probatur ex imperfectione, quia ipsam præsentiam percipit quia, licet auditus discernat sonum edī versus dextram, & non versus sinistram, non valet intellectus ex vi auditionis asserere: sonus est in hoc numero spatio distans per triginta, & non per quadraginta passus. Propter hanc imperfectionem audiendi præsentiam seu figuram, potest dici, figuram audiri ex parte obiecti, non verò ex parte modi, sicut, quando à longè video animal, ignorans an sit rationale, vel irrationale, in nostra sententia differentia ex parte obiecti cognoscitur æque ac genus, non vero ex modo cognoscendi.

QUARTA CONCLUSIO. Olfactus, gustus, & tactus non percipiunt sensibile commune, v.g. præsentiam, quia, dum quis immortus has sensationes elicit, non percipit, unde veniant obiecta, neque aliqua est ratio, quæ suadeat, illorū præsentias his sensibus percipi: Quod verò ex diuersa applicatione potentie, sub qua diuersam sensationem obiecti elicit potentia, possit homo affirmare, obiectū sensatū existere in hoc loco, & non in illo, non provenit ex intuitione immediatè, sed ex hoc discursu: obiectū intensius sentitur per applicationem potentie spatio, in quo est, sed obiectū melius sentitur per applicationem potentie spatio: ergo obiectum est in hoc spatio. Quod autem inferatur odore animalia, sine discursu est, quia in illum feruntur, & cum primū discedunt ab spatio, in quo odorem sentiunt, statim ad illud redeunt, & illuc feruntur, quò magis odorem sibi gratum percipiunt, quod fit sine discursu aliquo.

QUINTA CONCLUSIO. De facto, rebus hoc modo existentibus, visus, neque auditus non possunt naturaliter percipere propriū sensibile sine communi. Hæc conclusio probatur experientia, numquam enim percipimus colorem, nisi alicubi existentem, & idem patet in sono. Deinde à priori quia sensibile commune naturaliter non potest separari à sensibi-

à sensibili proprio: ergo quotiescumque applicatur sensibile proprium, applicatur etiam commune: ergo quotiescumque sensibile proprium producit speciem sui, eam producit sensibile commune, cum utrumque eodem modo applicetur, & eandem virtutem habeat producendi speciem.

29 **SEXTA CONCLUSIO.** Si Deus conferuaret obiectum visus v.g. colorem sine præsentia: color adhuc, supposita illius conseruatione sine præsentia, non posset videri naturaliter: posset tamen supernaturaliter. Priorem partem tenet ferè omnes scholastici. Posteriori tenent Alex. Alensis 4. p. q. 10. n. 7. art. 3. §. 8. Sotus in 4. dist. 10. q. 1. art. 7. qui affirmant, de facto Beatam Virginem supernaturaliter vidisse Christum in Eucharistia, non viso modo inextensionis, quem habet. Priorem partem ostendo ex dictis 7. phisic. ubi probaui, præsentiam requiri ex parte actus primi ad agendum: ergo color sine præsentia non est in actu primo ad producendam speciem sui: ergo non potest naturaliter illa producere: ergo neque videri. Posteriori fua deo ex dictis ibi, ubi statui Deum posse supplere defectum præsentiae, & agens sine præsentia requisita ad operationem posse supernaturaliter agere in distans extra totam sphaeram. Ex quo inferitur: posse, supernaturaliter operari sine omni præsentia, quia præsentia, quae non applicat agens ad passum intra sphaeram illius, non se tenet ex parte principij actui existentis ad operandum, cum non adiuvet ad operationem: immò potius illius naturaliter impeditura sit ratione distantiae, quam fundat talis præsentia.

30 **SEPTIMA CONCLUSIO.** Si Deus impediret concursum sensibilis communis, ad producendam speciem sui, sensibile proprium naturaliter speciem sui produceret, & color existens cū præsentia videretur, non visa præsentia. Ratio est quia color, vbi sit in actu primo potens producere speciem sui, non indiget concursu sensibilis communis, seu præsentiae: sed tantum præsentia: ergo etiam si Deus impediret hunc concursum, dummodo conseruaret colorem cum præsentia, color esset in actu primo ad producendam speciem sui. Antecedens probatur: Color tantum indiget præsentia, ad producendam speciem sui, sicut quolibet agens indiget præsentia, ad suas operationes, vt sit debite agenti applicatum. Neque fundamentum est ad constituendam aliam exigentiam in colore, ad producendam sui speciem, quam in aliis agentibus ad producendos suos effectus. Quod autem, quotiescumque datur productio speciei sensibilis proprii, detur productio speciei sensibilis communis, non probat dependentiam actionum, sed earum concomitantiam prouenientem ex concomitantia agentium potentium speciem sui producere.

31 **OCTAVA CONCLUSIO.** Si præsentia definitiua non distinguitur à circumscriptiua, sed tantum sit circumscriptiuarum repetitio, obiectum indiuisibiliter existens potest videri naturaliter, non tantum secundum se, sed cum præsentia definitiua, seu multitudine circumscriptiuarum. Probatur hæc conclusio: quod vna pars sit cum alia penetrata, neque quod sit in multiplici, loco non impedit actiuitatem illius, quia penetrata in hoc loco eandem approximationem habet cum passio, ac si non esset penetrata, & præsens in hoc spatio. Secundum hanc sententiam dicendum est: Christum in Eucharistia ex natura rei naturaliter posse videri: ex merito autem fidei impediri visionem illius. Quod de facto ita contingere, adhuc datā præsentia definitiua specie distincta, tenent Nominales, quos infra referam.

32 **NONA CONCLUSIO.** Si præsentia definitiua specie differt à circumscriptiua, obiectum definitiue existens non potest videri, vt præsens definitiue, hoc est, illius præsentia definitiua videri non potest. Defendunt hanc conclusionem Ricard. 14. dist. 2. art. 5. q. 2. Palud. & Capreol. q. ult. P. Soar. 3. p. tom. 3. disp. 53. sect. 4. Probatur hæc conclusio: obiectum commune adequatum est præsentia, quam de facto videmus, quod probatur ex eo, quod nullum est fundamentum, ad asserendum, illam præsentiam contineri sub obiecto huius potentiae, neque hanc potentiam habere virtutem, adhuc inchoatam producendi speciem expressam illius, ac proinde adhuc supernaturaliter videri non posset talis præsentia. Quod efficaciùs probabitur, si asseramus, talem præsentiam fore supernaturalem.

33 **DECIMA CONCLUSIO.** Obiectum definitiue existens per præsentiam definitiua, specie distincta à circumscriptiua, potest naturaliter videri non visa præsentia illius. Defendunt hanc sententiam præcipuè secundum partem

Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

affirmatiua, quam hic specialiter tradidimus Ocham in 4. dist. 10. quaest. 5. art. 3. Maior quaest. 5. illam probabilem censet, Gabriel lect. 45. in Canone Missae littera P. Ratione conclusionis accipe. Præsentiam ipsam non posse speciem sui producere, non est impedimentum, ad hoc, vt illam producat sensibile proprium, quia, vt dicebam conclusionem 3. concursus sensibilis communis non requiritur ad concursum sensibilis proprii, sed requiritur præsentia sensibilis proprii, vt applicet virtutem actiua passio, & illam constituat in actu primo ad operandum, tanquam conditio requisita; sed præsentia definitiua applicat virtutem actiua, ad operandum, & illam constituit in eodem spatio, in quo præsentia circumscriptiua constitueret eandem: ergo obiectum definitiue præsens poterit sui speciem producere. Minor probatur: obiectum definitiue præsens in palmo spatij v.g. habet omnes partes correspondentes eisdem partibus spatij, ac correspondere si in eodem palmo spatij esset circumscriptiue, quia, cum quælibet pars obiecti correspondeat omnibus partibus spatij, correspondet parti illi, cui responderet, si esset circumscriptiue præsens, & insuper aliis partibus: ergo habet eandem applicationem, quam haberet circumscriptiue respectu illius spatij, quod occuparet. Quod autem habeat alias respectu aliarum partium spatij, non est impedimentum, ad agendum, quia, si corpus ex vi huius præsentiae est applicatum huic passio, quod ex vi alius præsentiae sit applicatum alij passio distant, non impedit operationem, quia ad agendum in hoc passum non supponitur negatio applicationis ad aliud, sed positiua applicatio ad hoc. In hac sententia dicendum est cum Nominalibus supra citatis, Christum in Eucharistia secundum naturam leges posse videri: impediri tamen illius visionem ob meritum fidei.

VNDECIMA CONCLUSIO. Indiuisibile quantitatum separatum non posset naturaliter videri, secus supernaturaliter. Prior pars probatur: obiectum exiguum vix potest sensu percipi, vt patet in grano tritici, quod non potest videri, nisi in minima distantia, & alia sunt adeo exigua vt penitus non percipiuntur, vt patet in puluere per aërem sparso, qui non videtur, nisi nimia illius quantitas luce diffundatur: ergo indiuisibile, quod multo minus est, videri non poterit. Ratio huius conclusionis est, quia species producta ab obiecto indiuisibili, vel nimis paruo non potest ita pulsare animum, vt illum ab aliis operationibus reuocet, & ad visionem eliciendam indiuisibilis obiecti trahat. Posterior pars conclusionis probatur. Potest Deus cum animo, seu potentia concurrere ad visionem talis obiecti, etiam si potentia in actu primo non sit naturaliter ad illum excitata per speciem impressam, quia talis visio utpote obiecti visibilis non repugnat.

DVODECIMA CONCLUSIO. Sensibile commune v.g. præsentia, non est vna numero entitas duobus sensibus percepta, quia, licet visus, & auditus percipiant præsentiam: visus percipit præsentiam coloris, & auditus præsentiam soni, quæ præsentia realiter distinguuntur: dicuntur autem sensibile commune, quia vtrique præsentia eodem nomine gaudet.

DECIMA TERTIA CONCLUSIO. Præsentia coloris sentitur mediis speciebus, & præsentia soni immediate, nullis speciebus productis. Probatur conclusio: præsentia, & qualitas cuius est præsentia, eandem approximationem, & distantiam habent cum potentia: ergo præsentia qualitatis exigentis species ratione distantiae, eisdem indigebit propter eandem rationem, & præsentia qualitatis, quæ his non eget ratione approximationis, illis non indigebit: sed color eget speciebus, vt probaui: ergo & præsentia coloris, sonique præsentia sine illis sentitur, siquidem sonus mediis speciebus non sentitur.

PUNCTUM II.

De speciebus sensus communis.

PRIMA CONCLUSIO. Sensus internus non indiget speciebus, ad percipiendas sensationes exteriorum, sed immediate simul cum sensationibus externis potest sensationem internam elicere. Probo hanc conclusionem ex sufficienti applicatione quam habent sensationes externae ad immediate producendas sensationes, quæ sic ostendo. In homine sensatio externa est intimè præsens anime indiuisibili,

Q 3 82

& eademmet anima indiuisibilis secundum eandem animæ entitatem est sufficienter applicata, ad producendam sensationem internam in cerebro: ergo sensatio externa, etiam si existat in pede ratione animæ, est sufficienter approximata ad producendam sensationem internam procedentem ab illa, tanquam à principio immediato, inadæquato applicato ratione alijs comprincipij inadæquati, scilicet, animæ. In reliquis viventibus eandem applicationem ostendere secundum mea principia haud difficilius erit. Anima diuisibilis secundum se totam, & secundum omnes sui partes concurrit ad sensationem factam in qualibet parte corporis. Exempli gratiā, anima diuisibilis equi secundum partem pedis concurrit ad sensationem internam factam in cerebro, vt probavi Controv. 3. punct. 1. ergo sensatio facta in pede, intimè præsens parti animæ existenti in pede, & immediatè concurrenti ad sensationem internam cerebri eandem applicationem habebit ad eundem effectum, ac habet prædicta pars animæ, cui est intimè præsens, & ratione aliarum partium animæ, quæ cerebro proximiores sunt, cum quibus concurrit per actionem, procedentem ab omnibus tanquam ab vno adæquato principio, sufficientem applicationem habebit ad talem sensationem immediatè producendam. Rem confirmo, & explico: tota anima diuisibilis equi est sufficienter applicata ad immediatè producendam sensationem internam: ergo quælibet sensatio ex eo præcisè, quod esset immediata animæ, etiam si penetrata alicui parti illius non esset, sicuti est de facto, esset sufficienter applicata ad eandem sensationem immediatè producendam. Consequentia est legitima iuxta principia tradita lib. 7. physice. vbi cum communi sententia probavi: principium inadæquatum, passo applicatum medio alio comprincipio inadæquato posse immediatè in passum influere. Statutū sufficienti applicatione sensationis externæ, ad internam producendam, eadem ratio, qua probatur, sensus externos assignatos punct. 1. §. 2. speciebus non indigere, manifestè conuincit, sensum internum posse sine illis sensationibus externis percipere. Deinde ex eadem applicatione inferunt multi, quos dabo punct. sequenti, intellectum speciebus non indigere, ad percipiendum sensationes externas: ergo eodem modo debet inferri de sensu interno respectu sensationum externarum posita eadem applicatione, quæ indiuisibilis est. Quapropter non nimis consequenter loquutos esse recentiores, negantes species intellectui ad sensationes externas intellectui, qui illas concedunt sensui interno hominis ad externas sensationes percipiendas, non temerè iudico.

2. **SECUNDA CONCLUSIO.** Sensatio interna producit speciem sui, qua sensus internus illam absentem recordatur. Hæc conclusio ex memoria brutorum necessariò inferitur. Experimur enim animalia meminisse suarum sensationum: ergo sensationes, quarum datur memoria, aliquod semen reliquerunt, vt sensus internus illas non existentes recordetur, alijs ex nullo principio posset internus illas sensatione reflexa percipere.

3. **TERCIA CONCLUSIO.** Sensatio interna, dum actu existit potest sentiri alia sensatione interna reflexa, procedente immediatè ab illa, & non ab speciebus. Probo hanc conclusionem: Sensatio externa virtutem habet, ad producendam immediatè sensationem internam sui: ergo sensatio interna similem virtutem habebit, vt immediatè sui sensationem producat. Dices disparem esse rationem, quia sensatio externa non producit species, & ita necessum est, per se, & immediatè concurrere ad sui sensationem: sensatio autem interna sui species impressas producit, & ita necessum non est, immediatè concurrere, sicuti color, qui medijs speciebus sensationem producit, non immediatè sensationem producere valet. Disparitatem hanc nullam esse ostendam, cum fundamentum huius conclusionis aperuerim, ostendam enim diuersam sensationem reflexam produci ab speciebus ab illa, quæ ab ipsa sensatione producit, quod iam præstò, & conclusionem confirmo. Sensus internus diuerso modo sentit per sensationem reflexam sensationem actu existentem, & iam præteritam, quia in homine per sensationem reflexam de sensatione iam præterita fundamentum habet intellectus ad iudicandum, sensatione præteriti fundamentum habet, ad iudicandum, sensationem existere: ergo sensatio reflexa de sensatione interna præteriti, & de eadem iam præterita distinguuntur: ergo habent diuersa principia: ergo sensatio externa de

sensatione præteriti procedit ab ipsa sensatione, & de sensatione præteriti ab speciebus, quas ipsa reliquit, vt immediatè fugebatur, nulla enim alia diuersa principia huius sensationum reperiri possunt.

Obiicies: Species impressa producta à phantasmate virtutem habet producendi phantasma reflexum, quo illud, à quo processit, repræsentetur, vt præteritum, vel talem modo, vt fundamentum tribuat intellectui, vt iudicet: illud phantasma repræsentatum per aliud reflexum, præteritum esse, sed in primo instanti, in quo phantasma producit hanc speciem impressam sui: ergo in primo instanti, in quo existit, repræsentabitur vt præteritum modo supra explicato. Antecedens est certum, quia phantasma sui species necessariò producit, & agens necessarium in primo instanti, in quo omnia requisita habet ad operandum, necessariò operatur, neque vlla potest excogitari ratio, propter quam phantasma non producat speciem sui in primo instanti, in quo existit, illam in aliquo producatur. Consequentia probatur, quia species eandem virtutem habet, præterite phantasmate, à quo fuit producta, & eodem absente, & in primo instanti, in quo producit, & in vicioribus: ergo si in alijs, absente phantasmate, potest producere speciem expressam reflexam illius, eandem poterit in primo instanti, quo producit, præteriti phantasmate producere: ergo illam necessariò producit, quia omne agens necessarium applicatum in primo instanti applicationis agit totum id, quod potest. Respondeo speciem impressam non esse agens ita necessarium, vt in omni instanti, in quo est, absque vlla contingentia operetur, vt in omnium sententia apertum est, sunt enim plurimæ species in intellectu, & in sensu interno, quæ per longa tempora dormitant & nullam habent suæ virtutis exercitium: ergo non in eodem instanti, in quo sunt operantur. Respondeo secundò, non eo ipso, quod intellectus haberet in sensu communi phantasma reflexum productum ab speciebus, si dictum ibi permanebat, intellectum iudicaturum illud phantasma reflexè sensatum formaliter fuisse præteritum, hoc est extitisse, & non existere, quia ipsius existentia, quæ cognitionem ipsius vt existentis produceret, intellectum ab hoc iudicio auerteret: quod si talis sensatio reflexa procedens ab speciebus, & non à phantasmate fundamentum præbeat, vt intellectus iudicet suum obiectum præcessisse in instanti antecedenti fundamentum ad iudicandum modò non existere, desumendum est ex negatione cognitionis immediatè excitatæ ab illo, & ex his duobus, videlicet, ex negatione huius cognitionis, & ex illa sensatione reflexa procedente à phantasmate fundamentum desumit intellectus, ad iudicandum illud phantasma esse præteritum, hoc est extitisse, & non existere.

Difficilius est, rationem assignare, propter quam species hæc in primo instanti, quo producantur, non possint aliquo modo excitari ad producendum phantasma reflexum, quo intellectus, etsi fundamentum non habet, ad iudicandum: phantasma sensatum per aliquid reflexum præteritum esse, hoc est extitisse & non existere, tamen fundamentum habebit, ad iudicandum præcessisse in instanti antecedenti & ita intellectus nullum principium habebit, ad iudicandum, an phantasma, quod habet, illud habuerit in antecedenti. Responderi posset impossibilem esse phantasma reflexum productum ab speciebus, quas illud producit, cum ipso phantasmate per reflexum sentiendi, & ita non posse hoc reflexum produci, donec aliud directum ab sit, reflexum necessariò species supponit tanquam à principio, à quo procedit, & hæc à phantasmate directio dependet in instanti quo primò producantur, ac proinde si tale phantasma reflexum ab speciebus produceretur, directum supponeretur, vt principium remotum, & simul existerent, quod fieri nequit propter impossibilitatem ipsorum.

Hæc phantasmatum impossibilitas gratis conficta videtur. Cur enim phantasma directum compossibile cum alio reflexo procedenti ab ipso incòpossibile erit cū reflexo procedente ab speciebus? Deinde intellectus ex phantasmatis principium habet, ad iudicandum, modò existere hoc phantasma, & extitisse in instanti præcedenti: ergo ex eo, quod existunt simul phantasma directum, excitans cognitionem suæ actualis existentie, & reflexum productum ab speciebus, excitans cognitionem sui obiecti, vt existentis tempore præcedenti.

Aliet

7 Aliter respondeo: species producta à phantasmate non posse aliud phantasma reflexum producere in primo instanti, in quo existit phantasma directum, quia illis non debetur concursus, neque potest naturaliter dari in illo primo instanti: sed tantum in sequentibus. Desumenda est ratio ex ipsarum natura, sunt enim species commemoratiuæ obiecti præexistentis, & aliâ excitatione indigentes, vt operentur, quæ excitatio non illis debetur, quovisque illorum obiectum præcesserit, & sit illo modo, quo ab ipsis virtualiter repræsentatur, videlicet cum aliqua duratione, iam præterita, quia licet producantur in primo instanti, in quo est illorum principium, & obiectum, non producuntur, vt illud repræsentent in illo primo instanti, sed in sequentibus, in quibus verum sit dicere præcessisse sensationem internam, cuius aliam reflexam producunt. Neque pro hac difficultate fugienda genus hoc specierum, in quibus non debeat concursus in primo instanti, in quo existunt, sed in aliis in quibus est obiectum repræsentandum, inuentum est. Communis enim Theologorum opinio species impressas constituit in Angelo à primo instanti suæ creationis obiectorum nondum existentium, in quibus non debetur concursus donec illa obiecta actu sint existentia. Sic ego affirmo: species productas à phantasmate esse productivas aliis phantasmatis reflexi, quo directum quasi præexistens repræsentatur, & ita affirmo, non illis deberi concursum, donec verum sit obiectum præexistisse.

8 QUARTA CONCLUSIO. Sensatio externa nullam sui speciem producit in sensu externo, neque interno, vt ipsa præterita percipitur: illam non producere in sensu externo, probatur: Quia nullus in his sensibus memoria constituitur, non in sensu interno, quia sensus internus ad memoriam sensationis externæ non indiget speciebus illius, sed speciebus sensationis internæ, quia ipsa fuit sensata, quibus producit memoria sensationis internæ, & consequenter externæ, quæ se habet vt obiectum phantasmatis seu internæ sensationis. Neque opinio, quæ asserit, sensationes externas producere species sui in sensu externo, has debet ad memoriam in sensu interno relinquere, sed tantum illas dependentes, in conservari à sensatione externa constituitur, vt, dum obiectum est præsens illius speciei expressam producant: alioqui species impressa relicta in sensu interno ab externa sensatione, eodem modo produceret speciem expressam sui obiecti, scilicet, sensationis externæ, siue hæc actu existeret, siue iam fuisset corrupta. Quia sensatio interna secundum hanc sententiam adequatè ab speciebus impressis producit: ergo, dum hæc eadem permanent, eandem sensationem internam circa sensationem externam produceret, siue sensatio interna existeret, siue non existeret, quia existentia obiecti, immediatè non influens necessaria non est, cum reliqua principia, quæ immediatè influunt in sensationem, existunt. Consequens illatum admitti nequit, quia, si internus sensus posset eodem modo percipere sensationem externam præsentem, & iam præteritam, bruta, quorum appetitus regitur, & agitur immediatè sensationibus, eodem modo mouerentur sensationem internam sensationis externæ præsentis, & iam præteritæ, & ita quis eodem modo fugeret cum recordaretur visionem externam lupi, & quando illam primo sensu interno cognouit, & canis eodem modo insectaretur leporem cum sensationem externam illius meminisset, & cum illam primo sensu interno actu existentè attingit. Quia internæ sensationes in his animalibus in vtroque casu essent omnino eiusdem rationis, quia ab eodem omnino principio actiuo, & passiuo cum eisdem circumstantiis, dispositionibus, & conditionibus processissent, præsentia enim, vel absentia obiecti nihil conducit ad actum intentionales, quando obiectum immediatè, & per se non influunt in actum, sed tantum ratione principij, & ita omnes qui asserunt, non posse dari visionem intuitiuam coloris non existentis, dicunt non posse dari speciem impressam eiusdem coloris non existentis, quia si semel concedatur species impressa coloris non existentis pupillæ applicata ad producendam visionem, negari non poterit: visionem ipsam possibilem esse: imò necessariò esse producendam, etiam absente obiecto, quia, posito actu primo ad æquato principij necessariò operantis, naturaliter effectus impeditur nequit.

9 Obiic. Sensus internus non solum percipit sensationem internam, vt iam præteritam, sed etiam sensationem externam, & non solum habet memoriam sensationis internæ, sed etiam externæ: ergo non solum habet species impres-

sis productas à sensatione interna, sed etiam ab externa sensatione. Adhibui hanc obiectionem ad explicandam illius doctrinam, non vt illius difficultati, quæ levis momenti est, satisficerem. Resp. sensum internum non percipere sensationem internam, neque externam, vt præteritam, neque vt præsentem actu, quia sensatio interna, vel externa, vt præsens actu, & vt iam præterita inuoluit durationem, quàm sensu internus non potest percipere, quia non potest attingere correspondentiam ad tempus reale existens, vel possibile, quæ percipi non potest à potentia, quæ tempus ipsam non percipiat, per quam duratio constituitur, quæ tantum est obiectum intellectus cognoscentis hanc, & illam durationem, & inter vtramque discernentis. Ad illud, quod dicitur: sensum internum habere memoriam sensationis externæ respondeo: esse diuersos memorie actus circa hæc obiecta: circa sensationem internam sensus internus memoriam habet actu, quo illam attingit tanquam obiectum ad æquatum, quado est absens, sicuti illam immediatè præsentem attingebat, diuersam tamen sensationem ex parte actus, quia, quando sentit sensationem internam præsentem, illam attingit sensatione procedente à phantasmate, quod sentitur: Quando verò sensationem absentem alia interna sensatione cognoscit: sensatio hæc reflexa tantum procedit ab speciebus impressis à sensatione interna directè producta, & ita hæc sensatio reflexa de sensatione absente, & alia similiter reflexa de eadem interna sensatione, etiam habeant idemmet obiectum, quia duratio diuersa sui obiecti ipsis non attingitur, sunt valde diuersæ ex diuersitate principiorum, ex quorum diuersitate fundamentum desumit intellectus, ad iudicandum, obiectum huius reflexæ sensationis adesse, vel abesse, & discernendi inter diuersas durationes eiusdem entitatis. Aliter se res habent in memoria sensationis externæ, seu in cognitione materiali sensationis externæ: iam præteritæ, quæ tantum immediatè per sensationem internam non reflexiuam supra aliam internam sensationem cognoscitur, quando est præsens, tunc enim immediatè attingitur per internam sensationem, dependentem in fieri, & conservari ab externa: postea verò, quando iam præterit nullum semen sui relinquit, neque, vltra sensu interno cognoscitur, nisi actu tendente in sensationem internam quæ prius fuit cognita, qui actus interni sensus dicitur actus memorie sensationis externæ, quia tendens in sensationem internam, respicientem externam tanquam obiectum, in ipsam externam sensationem tendere dicitur. Ex hoc diuerso modo tendendi in sensationem externam, quando adest, ac quado abest, fundamentum desumit intellectus, ad cognoscendum, sensationem externam adesse, vel abesse, præteritam esse, vel præsentem: Quando enim sensationem externam percipit cognitione excitata à phantasmate procedenti immediatè à sensatione externa, seu producta ab ipsa visione, cognoscit visionem ipsam actu esse præsentem, quando verò sensationem externam cognoscit cognitione excitata à phantasmate reflexo procedente ab speciebus, quas produxit phantasma, productum à sensatione externa, sensationem externam tempore antecedenti præcessisse, & ex hac cognitione, & negatione illius, cognoscit, sensationem externam esse præteritam, hoc est, extitisse antea, & modo non existere.

10 Obiic. Sensus internus non potest percipere durationem obiecti: ergo non potest sentire reflexè sensationem internam, vt præsentem, neque vt existentem, neque illam diuerso modo sentire præsentem, aut præteritam, neque inter has durationes eiusdem obiecti discernere. Antecedens probatur: duratio est extrinseca quædam denominatio desumpta à tempore reali possibili, quæ sine hoc percipi nequit, sed sensus internus non potest percipere tempus possibile, neque extrinsecam hanc denominationem: ergo neque durationem, neque inter durationem, & durationem discernere. Consequentia efficax est: quia sensatio præterita, & existens tantum distinguitur penes diuersam durationem: ergo sensus internus, qui non valet percipere durationem, non valet percipere sensationem internam, vt præsentem, neque vt præteritam, neque inter sensationem vt præsentem, & vt præteritam discernere. Resp. Verum esse sensum internum non percipere durationem sensationis, neque sensationem ipsam formaliter, vt præteritam, neque vt præsentem, neque aliquid diuersum ex parte obiecti cognoscere, quando attingit sensationem ipsam præsentem, aut absentem: nihilominus ex parte actus seu ipsius sensationis diuerso modo attingere sensationem præsentem, & sensationem præteritam, quia, licet siue præteritam siue

Q. 4 præsentem

præsentem agnoscat attingit eandemmet entitatem sensationis externæ tantum secundum id, quod dicit intrinsecè, tamen per actum diuersæ rationis illam attingit, quâto est absens, quod probant argumenta suprà facta, & in hoc sensu verum est, dicere, sensum internum attingere sensationem internam, vt præsentem, & vt absentem, hoc est, illam intensiorem dum est præsens attingere actum quodam, qui ingerit cognitionem intellectui illius sensationis formaliter vt præsentis, & eandem cognoscit vt absentem, hoc est, alio actu diuersæ rationis, qui in intellectu hominis producit speciem expressam sensationis, vt absentis formaliter: Quod in aliis animalibus per productionem intellectuum explicari non valet, in homine tamen rectè explicatur per diuersas cogitationes, quas hæc phantasmata reflexa, tendentia circa idem obiectum, & à diuersis principiis procedentia, excitant.

11 Nonnulli in sensu communi species, quas vocant insensatas, apponunt, quibus obiecta percipit, quæ per sensus externos percepta non fuerunt. Has ego omnino relego, & assero, in sensu communi nullam dari speciem non productam à sensationibus externis, quæ tantum producant speciem representatiuam ipsarum, & obiectorum, quæ per ipsas sentiuntur. Ratio est, quia nulla est causa, à qua species hæ insensatæ produci possint. Nulla enim entitas producit speciem obiecti, in quod ipsa non feratur tanquam in obiectum: ergo sensationes externæ producere non poterunt speciem obiecti, in quod non feratur sensatio, quæ speciem producit, neque alia est causa, à qua possit interius sensus species alias accipere, nisi dicas, illi infundi species obiectorum, quæ sensus non percipere; quod omni fundamento caret. Quomodo verò quis cognoscat disconuenientiam cum lupo, & conuenientiam cum cane, dixi Controu. 4. Punct. 2. n. 6.

12 Obiicit. Sensus externus non percipit motum, & sensus internus percipit illum: ergo aliquid percipit sensus internus, quod non percipit externus: ergo dantur species insensatæ. Prior pars antecedentis probatur. Quia sensus externus tantum percipit obiectum præsens: eo tempore, quo est præsens: ergo tantum percipit præsentiam eo tempore, quo durat: ergo non percipit præsentiam, iam præteritam: ergo neque motum, quia motus dicit præsentiam præteritam, & præsentem. Posterior pars probatur: quia canis percipit fugam leporis, & eam insequitur: ergo percipit motum. Respondetur: neque internum propriè percipere motum, quia motus non dicit præsentiam præteritam, & præsentem, sed negationem præsentis, quæ fuit, & præsentiam, quæ est: nullus autem sensus neque internus, neque externus percipit negationem. Dixi nullum sensum propriè percipere motum, quia sensus internus impropriè illum cognoscit, seu æquiualeter; non, quia attingat, neque impropriè negationem, quam includit motus, sed quia habet memoriam præsentis quæ præterit, & simul cognitionem præsentis modò existentis, qui duo actus quasi æquiuales cognitionibus, & per illos excitatur canis ad insectandum fugientem leporem, qui actus non reperiuntur in sensu externo, qui memoriam non habet, neque sunt per species insensatas, sed per species obiecti, quod fuit sensatum sensu externo, & per species obiecti, quod modò eodem sensu externo percipitur.

PUNCTUM III.

De speciebus intellectus.

1 Multi ex antiquis Theologis species intellectuales omnino demunt asserentes, sat esse, esse phantasmata ad quascunque intellectiones cognoscendas. Ita Durand. Bachonius, Gotfredus apud Conimbr. lib. 3. de anima cap. 5. quæst. 3. art. 1. Consentit ex parte Gabriel in 2. distinct. 3. quæst. 2. affirmans non requiri speciem ad cognitiones intuitivas; requiri tamen ad abstractiuas. Auctores suprà relatos nonnulli recentes sequuntur.

2 Communis opinio, quam tenet Angelicus Doctor 1. p. q. 55. art. 1. & alij quam plurimi ex antiquioribus & recentioribus, quos recensere longum esset, species impressas in intellectu constituit, quæ ab intellectu agente, & à phantasmate vulgò produci dicuntur.

3 PRIMA CONCLUSIO. In anima dantur species impressæ

se pro memoris actibus. Rationem non inueni, quâ nihil efficaciter conclusionem hanc probare nonnulli tamen sunt, quæ satis probabiliter illam suadent. Accedit his Doctorum auctoritas, præcipuè Augustini lib. 11. de Trinitate c. 2. ubi non solum docet, dari has species, sed asserit, tan diutius ingenij esse, de his dubitare. Quod si species aliquæ iuxta mentem Augustini, & communem sententiam D. Thomæ, aliorumque scholasticorum in intellectu sunt admittendæ, has ad memoris actus esse designandas, censendum est.

Potissima ratio huius conclusionis desumenda est ex memoria actuum intellectus, & voluntatis, seu ex cognitione reflexa, quâ, postquam præteritæ, cognoscuntur, & cognitio nullum aliud potest esse principium præter speciem, relictam in intellectu ab actu, qui iam præterit, & modo cognoscitur. Dices: principium comitatur intellectum in horum actuum productione esse phantasma, quia adhuc illam hoc comitatur. Contrâ tamen quæ certum esse non potest memoriam horum actuum phantasmata comitari. Deinde assignari nequit obiectum phantasmatis producentis hunc actum; hoc enim esse nequit obiectum intellectus productionis, scilicet, intellectus, seu volitio præterita, quia intellectus & volitio, vt potest obiecta spiritualia non possunt materiali phantasmate attingi. Secundo anima separata habet memoriam horum actuum sine phantasmatibus: ergo illi actus dum fuerunt exteriori ab anima informante materiam, speciem produxerunt, quâ postea anima in statu separationis illorum recordatur: ergo illæ species, quæ ante separationem existebant cum eadem virtute, eodem modo producebant actum memoris, seu cognitionem actus intellectus, vel voluntatis iam præteritæ: ergo dantur species in intellectu, & de facto illis cognoscitur actus proprios, actusque voluntatis iam præteritos, & his mediis obiecta, quæ prius cognouerant, respectu quorum cognitio reflexiua memoria dicitur.

SECUNDA CONCLUSIO. Species impressæ horum actuum non producuntur ab intellectu, sed à suis obiectis tanquam à principijs adequatis. Ratio est manifeste obiecta illa spiritualia sunt: ergo, vt speciem spirituales producant, non indigent alio comprincipio spirituali: ergo immediatè tanquam principia adequata possunt species impressas ipsorum representatiuas producere. Sicut omnia alia obiecta eiusdem rationis secundum materialitatem, vel spiritualitatem cum specie producenda illam producant: v. g. color, & omnia obiecta sensuum exterorum, & interni, quæ species producant, & sicut phantasma in sensu interno speciem impressam relinquit ab ipso phantasmate tanquam à principio adequato productam sine consortio sensus interni.

TERTIA CONCLUSIO. Phantasma immediatè concurrat ad cognitionem sui, & obiecti sensati per illud sine vlla specie intermedia. Probanda est hæc conclusio eisdem omnino rationibus, quibus probauimus puncto precedenti, sensationem externam concurrere ad sensationem internam. Illas iterum repetere non placet, quia mutata materia eodem omnino modo procedunt.

QUARTA CONCLUSIO. Phantasma nullam producit speciem impressam in intellectu ad sui memoriam. Probo hanc conclusionem ex dictis Punct. præcedenti de sensu interno, & ex doctrina ibi tradita. Sensatio externa non producit speciem sui in sensu interno, vt hic illius recordetur: ergo sensatio interna non illam producit in intellectu, vt eius sensationis internæ intellectus memoriam habeat. Consequentiam probō, & rationem à priori desumo eidem paritatis inueniens. Sensus internus sufficienter recordatur sensationis externæ per species relictas à sensationibus internis, quibus producit sensationes reflexas circa sensationes proprias internas, quæ ab externis processerunt & illas tanquam obiecta inspicere, & per has internas sensationes reflexas immediatè versantes circa alias internas externas memoria habet: ergo eodem modo intellectus per cognitionem reflexam cognitionis præteritæ recordabitur sensationis externæ, & aliorum obiectorum, quæ respiciebat cognitio directa, quæ modò reflexè cognoscitur. Et in hoc sensu verum est dicere animam habere speciem impressam obiectorum omnium, quæ aliquando cognoscit, quia habet speciem actuum, quibus illa cognouit, quæ producant cognitionem non solum aliorum cognitionum, à quibus fuerunt productæ, sed etiam obiectorum.

obiectorum, quæ his cognitionibus reflexis cognoscantur.

- 8 Obiic. Sæpe quis recordatur obiectorum, quæ cognoscit, & non recordatur cognovisse illa obiecta: ergo habet species impressas representativas obiectorum, quæ representativæ non sint cognitionum. Huic argumento in omnium sententia respondendum est; communis enim sententia quæ in anima constituit species productas à phantasmate, non illas constituere debet ad actum memoriam; sed ad perceptionem phantasmatis, actu existentis, quæ species transeunt amoto phantasmate, à quo in conservari dependent, sicuti qui species productas à sensationibus externis in sensu adituunt, non illas ad memoriam harum sensationum; sed ut percipiantur, dum sunt actu præsentia, constituunt, omnique memoriam cuiuscunque potentie constituunt in speciebus productis ab actibus eiusdem potentie. Sed esto, producerentur species à phantasmatibus, deferentes actibus memorie intellectus, adhuc stare argumentum: sæpe quis recordatur obiectum perceptum sensatione externâ, & intellectu, quin recorderetur cognitionis, aut phantasmatis: ergo habet species illius obiecti distinctas ab speciebus cognitionis, & phantasmatis, quibus illud primò percipit.

- 9 Respondeo cognitionem memorativam simul ferri in obiectum prius cognitum, & in cognitionem præteritam; expressis tamen in obiectum cognitum, quia cognitio præterita non fuit sensata sensibus externis, neque interno, & semper obscurius, & confusus cognoscimus illa, quæ prius sensata non fuerunt, & quo pluribus sensibus fuerunt sensata, & facilius nos obiecta cognoscimus.

- 10 Placet solutionem aliam adducere in re occulta nimis, in qua vix aliquid ex principiis certis dici potest. Affero numquid cognosci obiecta per species memorativas, quin aliquo modo cognoscantur actus, quibus fuerunt cognita; nihilominus, intellectum discernere inter obiecta externa cognita; & non inter ipsos actus, quia species expressa, quæ interni actus, & externa obiecta cognoscuntur, non tantum procedit ab specie impressa propria illius actus, sed ab aliis speciebus, quibus vitur intellectus, ad hæc obiecta cognoscenda non solum per species proprias, sed etiam per alias, quæ omnes simul producant speciem expressam, quæ viucius cognoscitur obiectum externum, quam internum; quia, etsi propria species impressa expressiorem cognitionem produceret circa actum internum, à quo fuit producta, quam circa illius obiectum, si ipsa nullo adiuta principio expressam produceret, ratione aliarum specierum, quæ se habent per modum vnius principij cum illa, simulque sumptæ per modum vnius principij alienæ sunt respectu cuiusvis actus interni, & externi obiecti, & quia illarum qualibet in expressiorem diversi obiecti producenda sunt destinata, potest species expressa produci, quæ viucius obiectum externum cuius non sunt immediatè species in intellectu, quam internum, quod speciem propriam in intellectu genuit, repræsentet. Quod si actus memorie fieret per speciem propriam vnius simplicis actus interni, non ita contingeret; sed semper expressius internus actus tenens se, ut obiectum cognitionis reflexe viucius, quam aliud obiectum externum perciperetur.

- 11 Hanc ego rationem reddam, propter quam aliquando quis ita cognoscit obiectum, quod actu sensu externo, & interno percipit, tali modo, ut intellectus possit, circa obiectum externum discernere; & non circa sensationes, mediis quibus cognoscitur. In quo casu dicendum, existimo: cognitionem illius obiecti non dependere tantum à sensationibus illius; sed ab aliis speciebus, seu ab aliis phantasmatibus, quibus intellectus tanquam vno principio vitur ad illud obiectum cognoscendum.

- 12 QUINTA CONCLUSIO. Intellectio dum actu existit, potest immediatè concurrere ad intellectionem reflexam de illa producendam, diversæ rationis ab illa, quam absens mediis speciebus produceret. Idem dico de volitione, quæ dum actu existit, per se ipsam potest concurrere ad sui cognitionem, & dum abest, mediis speciebus. Hæc conclusio probatur à paritate phantasmatis, de quo doctrinam hanc tradidit Punct. præcedenti, quæ eisdem rationibus hic stabilenda est. Favent huic conclusioni, quatenus de actibus voluntatis procedit Molina i. part. q. 57. artic. 4. Bañez i. p. q. 87. artic. 3. afferentes actus voluntatis cognosci per se ipsos intellectui præsentem, aut certè per speciem impressam, ab ipsis in intellectu productam.

SEXTA CONCLUSIO. Anima, illius potentia (si dentur superaddite) habitus, & species impressæ, aliæque similia accidentia cognoscuntur tantum per species alias, & à posteriori per effectus. Ita Toletus lib. 3. de anima, q. 11. Rub. lib. 3. de anima tractat. de intellectu possibili q. 6 & 7. Conimbr. lib. 3. de anima c. 8 q. 5. art. c. 2. & alij plurimi apud hos. Probat hæc conclusio. Quia nullus ex alio capite probat se habere has potentias, nisi ex effectibus, ex quibus illas infert, neque vllus audebit, dicere se experiri, habere potentiam intellectivam, speciem impressam alicuius obiecti, aut animam, neque de his meminisset, si illorum effectus non fuisset expertus: ergo tantum cognoscit hæc obiecta à posteriori per effectus, & per alias species.

Obiic. Hæc obiecta sunt intimè animæ præsentia: ergo per se ipsa producant cognitionem sui. Probat consequentia iuxta nostra principia, quibus ex hac immediata applicatione intulimus: plura obiecta sensationes, & cognitiones immediatè producere. Respondeo consequentiam esse malam, & consequens falsum, neque ex nostris principiis posse deduci. Ego enim tantum intuli obiecti ad potentiam immediatam concursum in his obiectis, quorum concursus actius in actum vitalem immediatè ab illis, vel mediis speciebus necessariò concedendus est, & argumento desumpto ex applicatione obiecti ad potentiam vltus sum ad species impressas auferendas; non ad concursum obiecti in suam cognitionem, vel sensationem probandum, quod si ex alio capite constabat specierum ablatio, illum concursum esse immediatam inferre, quod ego tantum prædicto argumento contendo. Quapropter, cum ex nullo capite nobis constet virtus activa horum obiectorum ad producendam cognitionem immediatè, vel mediis speciebus; imò argumentis probetur, talem virtutem non inesse his obiectis, applicatio immediata nihil concludit, ad probandum hæc obiecta immediatè concurrere. Instabis alio modo: Anima, intellectus habitus, & huiusmodi obiecta percipiuntur per species alias, & non proprias: ergo idem dici poterit de actibus intellectus, & voluntatis, aliquando à posteriori cognosci ex effectibus, & per alias species cognitione producta à phantasmatibus aliorum obiectorum, & specierum diversorum actuum, existentium in intellectu; sæpe tamen per species proprias cognoscuntur, quia experimur nos cognoscere actus intellectus, & voluntatis, qui nullum habent effectum, simplex enim affectus complacentiæ, sæpe nullum effectum habet, adhuc per accidens, neque per se tendit in productionem illius, & cogitatio speculativa de aliquo obiecto per se cum nullo effectu coniungitur, & tamen experimur huiusmodi actus: ergo virtutem habent producendi cognitionem sui independentem ab effectibus, & ab speciebus aliorum obiectorum. Denique, si aliquæ species memorie deferentes in animo ponendæ sunt, debent esse productæ ab his actibus: ergo debent esse representativæ illorum. Consequentia patet: quia omnis species est representativa obiecti, à quo producit. Antecedens probò; quia reliqua obiecta tantum possent producere species medio phantasmate; hoc autem non producit species in intellectu, & si illas produceret, non illas ad memoriam, sed ad cognitionem actualem ipsiusmet existentis dependentes in conservari ab obiecto, produceret, sicuti sensatio externa species impressas producit in sensu interno iuxta sententiam, quæ sensationem internam per species missas ab externa effici censet.

PUNCTUM IV.

Quod sit munus speciei impressæ.

Afferunt nonnulli: speciem impressam esse eiusdem rationis, & speciei atomæ cum obiecto, ex quo inferunt speciem impressam deferre ad cognitionem tanquam idolum, seu imaginem prius cognitam, quæ per similitudinem sui ducit in cognitionem obiecti. Adduntque ex obiecto cognito, & cognoscente fieri vnum per se magis propriè quam ex materia & forma.

Præterea partem huius conclusionis in bonum sensum explicatam Perspectivi nonnulli defendunt, qui afferunt vnum colorem esse productum alterius, & posse sentiri medio

medio colore producto, qui immediatè potentiam attingat, & gerat vices speciei impressæ, respectu coloris, à quo producitur & hac ratione rectè componitur species esse eiusdem rationis cum obiecto. Doctrinam hanc impugnauit hic Punct. 1. §. 1. ubi probauit colorè videri mediis speciebus in aère productis in quo non producitur color, ex quo inferitur colorem, non medio colore videri, neque colorem productum gerere vices speciei impressæ respectu coloris producentis. Quod si hæc doctrina sustineretur, adhuc vniuersaliter sustineri non posset species esse eiusdem rationis cum obiecto, sed tantum in prædicto casu. Alij absolutè, vt sonat, defendunt species omnes in quacunque potentia existentes, esse eiusdem rationis cum obiecto, quod falsum esse lumine naturæ notum est; si enim brutorum species eiusdem essent rationis cum ipsis, intellectus humanus, in quo sunt plurium brutorum species pergrande quoddam esset stabulum, coniungens gryphes equis, & pardis leones. Profectò nescio quid aduersarij apprehendant, dum hæc defendere, præsumunt.

3 Secunda pars falsitatis etiam conuincitur. Quia nos non experimur, cognoscere tale idolum, sicut experimur cognoscere obiectum externum: ergo non cognoscitur aliàs eodem modo experiremur, illud cognosci, sicut experimur, externum obiectum cognosci. Deinde, quia, cum falsum sit tale idolum posse esse eiusdem rationis, & speciei cum obiecto, implicat, tale idolum prius cognitum ducere in cognitionem obiecti modo, quo hi auctores fieri affirmant. Tandem impugnatur hæc sententia, quia impertinens est tale idolum. Sicut enim hi auctores fingunt cognitionem terminatam immediatè ad idolum, & mediatè ad obiectum, cur non illam constituent immediatè ad obiectum terminatam?

4 Vltimum, quod ex Auctoribus retuli, non possunt ipsi sine maxima ipsorum iniuria proferre, Quia, si ex cognoscente & obiecto fit vnum per se, magis quàm ex materia, & forma, inferitur ex quocunque obiecto, ab illis cognitio, & ex ipsis fieri vnum per se magis quàm ex materia, & forma. Nouerint autem plura obiecta, quorum vnio nihil illis proficua sit.

5 Alij affirmant: speciem impressam esse formalem similitudinem, & imaginem, non quæ prius cognita ducat in cognitionem obiecti, sed per se ipsam formaliter repræsentet obiectum, & constituat potentiam. Hæc sententia similiter impugnatur. Quia hoc munus repræsentandi formaliter, & constituendi potentiam cognoscentem, est speciei expressæ, quæ necessaria non esset, si species impressa illud obiret. Deinde impugnatur: species impressa producitur in subiecto, non cognoscente. Species enim albi producitur in aère, in quo non potest, produci imago, seu expressio formalis coloris; sed species expressa non potest produci in hoc subiecto: ergo species expressa, & impressa distinguuntur.

6 Dicendum est cum communi sententia, quam defendunt D. Thomas 1. p. quæst. 76. art. 1. Scot. in 1. distinctione 3. quæst. 7. Capr. in 1. distinctione 33. quæstione 1. art. 1. Rub. lib. 2. de anima, tract. de speciebus, q. 2. Hurtadus disp. 12. sectio 4. Arriag. disp. 4. sect. 8. speciem impressam concurrere actiue ad sensationem, & intellectionem per modum principij complementis potentiam ad suas operationes. Hanc conclusionem probō. Species impressa concurrat ad expressam, & ad ipsam requiritur, vt probat experientia: non potest autem concurrere in alio genere, nisi in genere causæ efficientis, quia in genere causæ materialis, neque formalis conducere non potest: non in genere causæ materialis, quia potentia ex se est capax recipiendi suos actus, deinde quia minor virtus requiritur ad recipiendum effectum, quàm ad producendum: ergo potentia potius indigebit comprincipio ad producendum actiue suas operationes, quàm ad illas passiuè recipiendas. Neque conducere potest in genere causæ formalis. Quia, cum species impressa non sit formalis imago obiecti, non potest formaliter illuminare subiectum ad suas operationes, sicut intellectus illuminat formaliter voluntatem ad amorem, neque modus alius apparet, concurrendi in genere causæ formalis.

7 Dices: concurrere formaliter eo modo, quo concurrat habitus requisitus ad actum, inclinando potentiam absque vilo influxu. Difficile est mihi habitus acquisitos concedere distinctos ab speciebus, & cognitione, quia difficillimè illorum influxus explicatur, & ostendam, non nisi

actuum futurum, si tales darentur habitus. Sed est, possent dari in volutate illà inclinantes sine aliquo concursu, hoc fieret propter naturā huius potentie libere, quæ potest allicui ad exercitium suorum actuum concurrere quasi morali, & non phylico, in reliquis verò potentiis infirmis concipi nequit.

Dices secundo, concurrere tanquam conditione, determinantem potentiam ad hunc actum, potius quàm ad illum. Contrā: Quia hæc determinatio conditionis non potest, esse in genere causæ formalis quia potentia informata eisdem speciebus modò producit hanc intellectionem, & potest illam: ergo hæc determinatio est per modum comprincipij, concurrentis cum potentia, quod dicitur, illam determinare ad hunc actum, non quia quotiescumque datur species impressa, necessestario detur expressa circa illud obiectum, sed, quia potentia intellectiua v.g. indifferens est, ad cognoscendum hoc, vel illud obiectum, & impotens aliquid cognoscere sine specie, eo ipso, quod cum hac specie tanquā cum comprincipio illam adiuuante operationem eliciat, debet illam elicere circa hoc obiectum. Quia intellectus non potest, simul cū specie impressa equi coniungi per modum vnus principij, ad producendam speciem expressam leonis. Species enim impressa est determinata ad producendam speciem expressam sui obiecti, & quotiescumque potentia illā vitur, debet esse in ordine ad cognitionem sui obiecti. Et in hoc sensu vera est opinio, quæ docet: munus speciei impressæ esse determinare potentiam ad hunc actum potius producendum, quàm illum.

Contra præcedentem conclusionem nonnulla adducit Tolet. lib. 2. de anima c. 5. q. 12. ubi concursum actuum speciebus denegat, quæ faciliè ex dictis solui possunt. Arguit primò ex immanentia visionis, quam non putat stare posse si species sit actiuum principium, quod solui, dum dicit actionem vitalem non debere esse immanentem respectu omnium principiorum, sed respectu animæ. Arguit secundo: sentire est opus animæ. Explicui sape non esse idem esse principium sensationis, & sentire, quia hoc importat principium immanens, & vitale. Arguit tertio: si species actiue concurreret, quotiescumque daretur species, daretur illius influxus. Resp. in multis speciebus ita cōtingere, non tamen in memoratiuis sensus interni, & intellectus, quæ si nō excitentur ab anima, nihil operantur. Quomodo autem excitentur, res est omnium difficillima, quam inueni in tota Philosophia. Ad quā soluendā parum refert, species in hoc vel illo genere concurrere. Quapropter non est huius loci illam dirimere. Nonnihil dixi in præcedentibus.

Nota: species impressas non ita esse determinatas, ad producendas expressas obiectorum, vt aliquando nō possint intellectus, coniungere species proprias dictorum obiectorum, & per productionem quandā, quasi monstruosam producere adiutus illis speciebus impressis expressam abstractiuam aliis tertij obiecti, cuius intellectus non habet species proprias. Quod contingit in cognitione substantiæ, & aliorum obiectorum, quæ non habent species proprias. Sed adhuc in his productionibus species impressæ, concurrentes cum illis ad productionem speciei expressæ obiecti nō habentis species proprias, possunt dici determinatæ ad productionem illius speciei expressæ, quia illa specierum collectio non potest aliam speciem expressam producere, nisi hanc abstractiuam huius obiecti: licet enim quilibet species per se sit determinata ad productionem speciei expressæ obiecti, cuius est propria; cum tamen coniungitur cum aliis speciebus aliorum obiectorum, species illæ per accidens ex coniunctione ipsarum per modum vnus principij determinantur ad speciem expressam monstruosam obiecti, cuius propria non est vlla ex his speciebus. Hæc enim propositio est vniuersaliter vera: Intellectus non potest eisdem indiuisibilibus speciebus impressis, quibus producit speciem expressam huius obiecti, producere speciem expressam aliis obiecti. Et similiter hæc est vera propositio: Ideo intellectus producit speciem expressam huius obiecti potius quàm illius, quia adiunatur his speciebus, & non illis.

Aliqui probant, speciem impressam concurrere actiue, quia non possunt omnia prædicata speciei expressæ correspondere potentie. Hanc tamen rationem nullam esse constat ex dictis 2. Physic. Controu. 9. punct. 2. ubi hanc correspondentiam prædicatorem inutilem esse ad cognoscendam causam adæquatam effectus, & tantum importare nugatoriam quandam petitionem principij latè tradidi.

Inquires,

13 Inquires, an obiectum tantum concurrat ad speciem expressam media impressa; an simul cum specie impressa immediatè ratione sui. Hanc difficultatem attingit Ariana citatus supra, cui negatiuè respondet cum communi sententia, quæ id non probat; sed supponit: tamen recentiores aliqui docuere, obiectum, colorem scilicet, immediatè concurrere ad visionem simul cum specie impressa in medio producta. Tota ratio huius sententiæ est, quia distantia obiecti non obstat: Sicut enim Sol simul cum calore immediatè productus, & per se ipsum producit ignem in subiecto distante: sic color simul cum specie impressa producta in medio producit in potentia distantem expressam. Respondeo, verum esse obiectum sufficienter applicari media specie impressa ad productionem expressæ, & ex hoc capite non repugnare, illam produci ab obiecto; repugnare tamen ex defectu virtutis in obiecto, quia nulum est fundamentum, vt dicamus hoc esse productum speciei expressæ per se, & immediatè; sine fundamento autem hoc contra communem sententiam concedere nefas est. Ad illud Solis productis ignem in passio distante. Respondeo, hoc concedi in hoc casu, & aliis similibus, quia fundamentum habemus ad hoc, vt talis virtus productiua tribuatur Soli, cum calor in medio productus non possit esse virtus productiua ignis; in præsentem autem defendi, colorem producere speciem expressam, omni fundamentum caret.

14 Inquires secundo, an species se teneat ex parte potentia, vel ex parte obiecti, tanquam vicaria illius. In hac questione nulla potest esse de re difficultas, cum dixerimus speciem impressam simul cum potentia actiue concurrere, & miti ab obiecto, quod est causa illius, mediâ quâ obiectum speciem expressam producat. Hæc de re, neque aliud potest inquiri sub illis terminis. An species teneat se ex parte obiecti tanquam vicaria illius, vel ex parte potentia. De modo loquendi neque multum disputandum est, neque potest à priori, vel à posteriori certa præscribi regula. Potest dici, speciem expressam se tenere ex parte potentia, quatenus cum illa concurrat per modum vnius adæquati principij & illam complet in ratione principij actiui, & potest etiam dici se tenere ex parte obiecti, quia obiectum mediâ illa speciem expressam producit, & quia obiectum producendo speciem expressam in potentia hæc complet in ratione principij actiui. Non tamen propriè dici potest vicaria obiecti, quia vicarium est quod aliis vicibus gerit, hoc est, quod præstat id, quod ab illo, cuius vicarium dicitur præstandum erat: cum autem obiectum non esset productum speciem expressam, impressa illam producens non propriè dicitur vicaria illius. Potest talis impropriè dici, quia præstat id quod obiectum per se præstaret si haberet virtutem, defectu cuius virtutis specie impressa obiecto enim incumbit, speciem expressam producere, quam cum non possit immediatè efficere, eam mediâ impressa producit.

PUNCTUM V.

De distinctione, extensione, & intensione specierum.

1 PRIMA CONCLUSIO. Obiectum diuisibile secundum extensionem diuersas species producit, correspondentes diuersis partibus obiecti. Hæc conclusio probatur, quia pars A, verbi gratia, non producit speciem representatiuam partis B, neque è contrâ: ergo quælibet pars producit speciem distinctam ab specie alijs partis. Secundo probatur: Quia, quando duo alba sunt diuisa, quodlibet producit suam speciem distinctam: ergo quâdo sunt vnita. Dices: quodlibet album producere speciem distinctam, quia sunt diuisa, vel non coniunguntur ad producendam speciem impressam; si autem coniunguntur, vtrumque producere speciem indiuisibilem distinctam ab illis, quas ipsa alba separata producerent. Contrâ: ex hoc sequitur, totam speciem productam ab obiecto corrumpi, quando minima pars illius incipit apparere, vel latere, quod sine fundamento dicitur; imò contra rationem, cui magis consonum est, vt quælibet pars obiecti speciem representatiuam sui producat, distinctam ab specie representatiua alterius partis.

2 Secundo: Si esset eadem species impressa totius calis, existens in aere existente prope fenestram, species illa

produceret in interiori parte cubiculi speciem, quâ posset videri tanta pars calis, quanta videtur ex spatio fenestræ immediato, quia species impressa producta est eiusdem rationis cum producente. Quod non ita contingere monstrat experientia: ergo signum est in spatio immediato fenestræ esse plures species correspondentes pluribus calis partibus, quarum aliquæ speciem aliam similem producant in interiori parte cubiculi, alijs nihil in eadem producentibus.

3 SECUNDA CONCLUSIO. Obiectum diuisibile secundum intensiorem producit speciem sui secundum omnes gradus intensiorem, ita vt cuiuslibet gradui distincto distincta species respondeat. Fundamentum huius conclusio is est idem ac præcedentis, ac proinde non in illo adhibendo, immorandum est.

4 TERTIA CONCLUSIO. Quodlibet obiectum indiuisibile, & quælibet pars obiecti diuisibilis quantumvis minima, etiam indiuisibilis secundum extensionem & intensiorem producit speciem sui diuisibilis secundum intensiorem, ita vt idem indiuisibile obiectum intensiorem, & intensiorem speciem producat secundum maiorem, vel minorem distantiam, vel virtutem actiuitatis. Hæc conclusio probatur: obiectum indiuisibiliter idem secundum intensiorem & extensionem remissius, & intensius videtur secundum maiorem, vel minorem applicationem: ergo producit species intensiores, & remissiores.

5 QUARTA CONCLUSIO. Subiectum diuisibile receptiuum harum specierum, aer v.g. receptiuus specierum coloris in qualibet parte sui recipit omnes species supradictas omnium graduum extensionis, & intensiorem obiecti, & intensiorem speciei respectu cuiuslibet partis indiuisibilis obiecti. Hæc conclusio probatur, quia, cum quælibet pars aeris sit receptiua specierum, & obiectum possit illas producere, eas producit in qualibet parte, seu indiuisibili aeris contento intra spheram actiuitatis illius. Deinde à posteriori eadem conclusio probatur, quia idem obiectum videtur secundum se totum ex diuersis partibus spatij: ergo in qualibet illarum producit species representatiuas omnium partium sui, siue sui totius.

6 Ex hac conclusione inferitur, species receptas in subiecto materiali habere extensionem subiectiuam, quia sunt extensæ per omnes partes subiecti secundum diuersas partes sui, hæ partes speciei in hac parte subiecti, & in illa alia partes speciei eiusdem rationis. Inferitur secundo: in qualibet parte siue indiuisibili subiecti reperiri species indiuisibiles secundum extensionem triplici modo, quorum duo impropriè dicuntur intensio, alter verò propriissimè. In primis in eodem indiuisibili subiecti reperuntur species diuersarum partium extensarum obiecti, quæ species aliquo modo possunt dici intensiorem constituere, quia sunt in eodem indiuisibili subiecti, impropriè tamen, quia sunt respectu diuersorum obiectorum. Dicuntur tamen inextensæ obiectiue, quia non sunt in subiecto extenso, & extensæ obiectiue, quia representant obiectum extensum. Reperiuntur etiam in eodem indiuisibili subiecti species omnium graduum intensiorem, qui sunt in obiecto, quæ species adhuc non propriam intensiorem constituunt, quia sunt respectu obiectorum diuersorum, licet constituentium vnum obiectum intensum, ob hanc rationem hæ species intensæ obiectiue dicuntur. Tertiò reperitur in quolibet indiuisibili subiecti species intensæ respectu cuiuslibet gradus omnino indiuisibilis secundum intensiorem, & extensionem obiecti, quæ propriè dicitur intensio, quia est multitudo specierum seu partium speciei respectu subiecti, & obiecti indiuisibilis.

7 Inferitur tertiò in quolibet indiuisibili aeris, vel pupillæ reperiri non solum tot indiuisibilia speciei, quot sunt coloris & lucis secundum extensionem, & intensiorem in toto obiecto viso, sed etiam pro singulis indiuisibilibus obiecti multiplicari in pupilla multa indiuisibilia speciei, quibus idem obiectum intensè videtur, & eò plura, quò intensius & clarius videtur, in quo nullum inconueniens reperio, neque in opinione constituite continuum ex infinitis partibus, neque ex finitis indiuisibilibus, quia secundum hanc, etsi specierum indiuisibilia maximopere numero vincant indiuisibilia obiecti, non tamen in infinitum multiplicantur, & secundum illam admissio vno infinito partium, aliud, & aliud addi, non est inconueniens. In quolibet enim digito sunt infinitæ partes, & tamen manus constat quinque digitis, in quibus quinque partium infinitæ

nita continentur, & longè plura, cum quilibet medietas cuiusvis digiti infinitas etiam partes contineat, imò quælibet pars proportionalis ex infinitis, quæ in digito reperiuntur, componatur.

8 QUINTA CONCLUSIO. Subiectum indiuisibile, v. g. intellectus recipiens species obiecti diuisibilis, recipit illas cum omni diuisibilitate supra assignata, præter subiectum, quam non possunt species habere in subiecto indiuisibili. Si verò subiectum, & obiectum sint indiuisibilia, species tantum possunt habere diuisibilitatem propriam intentionis, quia idem obiectum intensius, & intensius videatur.

9 SEXTA CONCLUSIO. Id quod diximus de diuisibilitate speciei impressæ, eodem modo speciei expressæ applicandum & propter easdem rationes, quas repetere inutile esset.

10 Obiicies. Quilibet gradus coloris, productus in aëre, producit indiuisibiliter ab omnibus partibus ignis, siue lucis: ergo idem dicendum est de gradibus, seu partibus specierum. Resp. concedendo antecedens, & negando consequentiam, quia calor non est representatiuus ignis, neque lucis, ac proinde potest idem indiuisibilis calor produci à diuersis partibus lucis, & coloris, species autem est representatiua obiecti, ac proinde tantum potest ab illo produci. Hic solet obiici, granum tritici separatum ab aliis non videri in aliqua distantia, videri tamen coniunctum cum aliis. Ex quo aliqui inferunt: omnia grana tritici ad inuicem iuuari ad productionem speciei. Hanc illationem malam esse, sic probo: obiecta diuersæ speciei, v. g. colores specie diuersi non iuuantur ad productionem propriæ speciei impressæ, vt patet, quando à longè viderimus parietem album, non viso corpusculo aliis coloris, cuius color, si iuuaretur parietis colore, ad speciem producendam, videretur, sicuti videtur color in pariete existens: & tamen si plura minima corpuscula conferuntur, etiam colore diuisa in magna distantia videbuntur, sub qua nullum eorum videretur, quin vnum aliud adiunget, ad suam speciem producendam: ergo hoc quod, est videri plura corpuscula simul, quorum neutrum seorsim videri potest, non prouenit ex eo, quod adiungetur inuicem, ad species producendas. Alio modo soluenda est difficultas, quam explicauimus Controu. 4. punct. 1. num. 27. vbi de tactu disputabam.

PUNCTUM VI.

An sit possibilis species impressa Dei,

1 DE specie impressa Dei disputant Theologi cum S. Thoma, 1. p. quæst. 11. apud quos non rei difficultate, sed auctoritate Doctorum prolixè certatur de possibilitate, & existentia speciei impressæ Dei. Quæ ad existentiam spectant ex principiis purè Theologicis definienda sunt. De his quæ ad possibilitatem attinent, breui calamo scribam.

2 Sentiant Thomistæ negasse D. Thomam speciem impressam Dei, quam pugnacissimè ipsi relegant. Capreolus in 4. dist. 49. q. 5. art. 1. Caiet. 1. p. q. 12. art. 2. Ferrar. 3. contra Gentes, Nauarrete, Zumel, & Gonzalez. Ex externis, Henric. Durand. & Bassolis, quibus ex nostris accessit P. Arrubal disp. 16. cap. 4. & 5.

3 Oppositam sententiam, videlicet speciem impressam Dei possibilem esse, tuerentur ferè omnes nostri Doctores cum Scoto, & illius schola. Ita P. Molina q. 12. art. 2. P. Vafquez 1. p. disp. 38. c. 2. & disp. 39. & 43. P. Suarius in Metaph. disp. 30. sect. 11. & lib. 2. de attribut. negat cap. 13. P. Valentia q. 12. punct. 2. P. Salas q. 3. tract. 2. disput. 5. sect. 2. P. Beccanus cap. 9. de visione conclus. 2. P. Erice disput. 40. cap. 8. P. Hurtad. disp. 12. de anima, sect. 3. P. Arriaga disp. 2. section. 2. aliique ex externis Doctoribus, quos nostri referunt.

4 Ratione probo conclusionem traditam à nostris Doctoribus, quibus subscribo. Possibilis est expressa species Dei, vt ferè omnes Theologi fatentur, & vt Thomistæ omnes comprehendam loco speciei expressæ, visionem claram Dei, quæ mea sententia idem est cum specie expressa, in antecedenti pronuncio, & sic argumentor. Possibilis est visio clara Dei: ergo possibilis est species impressa illius: antecedens nullus Catholicus negat. Consequen-

tiam probo: non est maior proportio inter speciem impressam Dei, & Deum, quam inter expressam, seu visionem claram Dei, & ipsum Deum: ergo sicuti non repugnat creatura, quæ habeat proportionem sufficientem vt sit species expressa, seu visio clara Dei, ita non repugnat creatura, quæ habeat proportionem sufficientem, vt sit species impressa Dei. Antecedens probo: Species expressa, seu visio clara Dei illum immediatè in se attingit, vt obiectum visum, species autem impressa, media expressa tantum, quatenus huius est productiua, Deum attingit: ergo immediatè species expressa, seu visio Dei respicit Deum, quàm species impressa: ergo maiorem, vel saltem æqualem proportionem debet habere species expressa, seu visio Dei cum ipso Deo, quàm species impressa. Ex eisdem principiis aliud argumentum efformo. Possibilis est visio beata Dei producta ab intellectu creato, eleuato supernaturaliter Deo: ergo poterit intellectus eleuari media qualitate supernaturali, quæ simul cum intellectu beati visionem producat, quam speciem impressam nostri Doctores iure appellat. Intellectum media qualitate eleuari, non repugnare, constat ex solutionibus argumentorum, quæ contra illam fieri possunt. Adducam fundamentum Thomistarum, quibus speciem impressam Dei relegare contendunt, ex quorum solutionibus clariùs constabit veritas sententiæ, quam defendendam suscepi.

Primò obiiciunt Thomistæ: Per speciem impressam inferioris ordinis non potest cognosci obiectum: sed quilibet species impressa creata est inferioris ordinis cum Deo: ergo per illam non potest cognosci Deum: totas consumunt vires Thomistæ, in minori probanda. Sic illi probant: Vt intellectus rem cognoscat debet fieri ipsum obiectum per speciem impressam: sed non potest fieri ipsum obiectum per speciem inferioris ordinis: ergo species impressa non potest esse inferioris ordinis cum obiecto.

Mille modis potest hoc argumentum in Thomistas retorqueri: tantum in ipsos species impressas Angelorum modò adduco Angelus habet speciem impressam, vt ipsi fatentur, plurimum substantiarum, alius Angeli, & sui ipsius sed species horum obiectorum sunt accidentia: ergo iure inferioris ordinis cum illis: ergo defendere, nequeunt speciem impressam non posse esse inferioris ordinis cum obiecto. Quod adducunt in probationem huius antecedentis, scilicet, intellectum debere fieri ipsum obiectum intelligibile, forsitan in aliquo sensu, quem Thomistæ hucusque non explicarunt, verum est, vt sonat autem longè alienum est à veritate. Intellectus enim, vt Deum intelligat, non debet fieri obiectum intelligibile. Alias deberet fieri Deum, quod plusquam chimericum est. Si verò sensus sit intellectum debere fieri obiectum virtualiter, & representatiuè, hoc est, debere, in se habere virtutem representationem obiecti potentem producere formalem representationem illius, hoc admittam. Sed hac ratione poterit intellectus fieri obiectum per entitatem inferioris ordinis cum illo, quia non potest formaliter, & virtualiter representari obiectum per entitatem inferioris ordinis cum ipso.

Obiic. secundò. Species impressa debet habere æqualem immaterialitatem cum obiecto: sed nulla entitas creata potest habere æqualem immaterialitatem cum Deo: ergo nulla entitas creata potest esse species impressa Dei. Maior probatur inductione facta per omnes species impressas quorumcunque obiectorum: Minor ex se patet: Consequentia ex terminorum dispositione. Hoc argumentum magis directè procedet contra speciem expressam, quàm impressam, magis enim immediatè expressa, quàm impressa obiectum attingit, & ita cum illo propinquiorè unionem habere debet. Et inductio, quæ fieri poterit de speciebus expressis, & de impressis, ad probandam hanc immaterialitatis affinitatem inter ipsam, & obiectum. Resp. speciem impressam obiecti spiritualis debere esse spiritualem, quæ eo ipso, quod spiritualis sit nihil immaterialitatis habebit, quatenus materiale idem est cum corporeo, quia omne ens spirituale est omnino expers corporeitatis. Et in hoc sensu potest dici omnis species æquè immaterialis cum obiecto. Si autem per immaterialitatem intelligant Thomistæ simplicitatem entis seu carentiam compositionis, & perfectionem entis vt videntur in obiectione supponere, falsum est, omnem speciem debere esse æquè immaterialem cum obiecto, quia potest esse species diuisibilis obiecti indiuisibilis, & species accidentalis obiecti substantialis.

substantialis, & consequenter species creata, & dependens obiecti increati, & species finita respiciens obiectum infinitum. Ut de specie expressa, seu de visione Dei tenentur omnes fateri.

8 Obiicies tertio, Deus in sua entitate est incircumscriptus, & illimitatus: ergo non potest circumscribi specie impressa, aliàs posset comprehendi. Inferrent melius Thomista: ergo non potest circumscribi specie expressa. Resp. Deum esse incircumscriptum, & illimitatum, & ita non posse circumscribi specie impressa productiva expressæ comprehensionis Dei; posse tamen cognosci media specie impressa productiva speciei expressæ claræ Dei, non comprehensionis. Quid addat species expressa, seu cognitio comprehensionis supra cognitionem claram, & intuitivam obiecti, dixi Contr. 6. Punct. 5.

9 Obiicies 4. Species impressa producitur necessariò à suo obiecto: sed nulla creatura produci potest necessariò à Deo: ergo nulla creatura potest esse species impressa Dei. Maiorem probant Thomista inductione aliorum obiectorum, quæ producant species sui non liberè, sed necessariò. Deinde ratione: species impressa est semen intentionale obiecti: ergo, etiam si obiectum aliàs sit agens liberum procedet ab illo, non ut vult obiectum, sed ut est. Urgent: species impressa procedit ab obiecto, ut cognoscibili, & emissivo speciei impressæ; sed obiectum est necessariò emissivum specierum impressarum: ergo illas necessariò emittit: ergo si Deus speciem impressam sui produceret, illam produceret necessariò. Retorqueo argumentum in sententia, quæ negat speciem impressam Dei. Omne obiectum immediatè concurrens ad sui cognitionem, vel sensationem, concurret necessariò; sed Deus non potest concurrere necessariò ad sui cognitionem: ergo nullo modo. Forma arguendi est eadem, quam adversarij in nos observant. Minor est eadem in utraque argumentatione. Maior eadem habet probationes ex inductione aliorum obiectorum, & ex ratione, quam adversarij adducunt. Quia obiectum concurret immediatè ad sui visionem, quatenus visibile, & productivum visionis; sed necessariò est visibile, & productivum visionis: ergo necessariò concurret ad visionem.

10 Respondeo: non omnem speciem produci necessariò à suo obiecto, quia species impressæ, quas habent Angeli, producuntur liberè à Deo. Inductio, quæ fit, ad probandum omnem speciem produci necessariò à suo obiecto probat omnem speciem impressam, productam à proprio obiecto creato, produci necessariò ab illo; non verò idem esse dicendum de specie impressa, producta ab obiecto increato: Sicuti non ex eo quod omne obiectum creatum immediatè concurrens ad speciem expressam sui, concurret necessariò, potest inferri Deum necessariò concursurum, si concurret immediatè ad speciem expressam sui. Illa enim, quæ in creaturis necessariò contingunt, in Deo liberè sunt propter infinitam perfectionem Dei. Ad illud, quod dicitur: speciem impressam esse semen obiecti, dicendum est: speciem impressam dici semen obiecti metaphoricè, & ita non in omnibus species impressa debet procedere ab obiecto eodem modo, quo procedit verum semen à viventi, à quo decidit. Et distinguendum est consequens illatum, scilicet, ergo procedet ab obiecto, non ut liberò, sed ut est. Procedet ab obiecto eo ipso, quod fit, & non eo ipso quod velit illam producere, nego. Procedet ab obiecto, quando liberè ab illo procedit, representans illud, ut in se est, & non, ut obiectum vult representari, si velit representari aliter, quam est concedo consequentiam. Ultimum, quod in argumento adducitur egregiam continet æquivocationem latentem in illa minori: *obiectum est necessariò emissivum specierum*, I quam claritatis gratia, distinguo. Obiectum habet necessariò, & non liberè virtutem emissivam specierum, concedo: obiectum habet virtutem emissivam specierum, quæ operetur necessariò, nego: ergo species producuntur necessariò ab obiecto, nego consequentiam. Vide eandem arguendi formam in quacunque alia creatura, Ignis v.g. procedit à Deo, quatenus Deus habet virtutem productivam illius: sed Deus necessariò habet talem virtutem: ergo necessariò producit ignem. Pessima consequentia.

11 Obiicies. Manus speciei impressæ est, supplere absentiam obiecti, & vices illius; sed Deus semper est intimè præsens: ergo potest dari species impressa, quæ suppleat vices illius. Prolixè multi hic disputant, An species impressa sit vicaria obiecti, & an suppleat vices illius: Quæ contra Francisc. de Quiedo Philosoph. Tom. II.

tentio est purè de nomine. Resp. manus speciei impressæ esse, concurrere ad expressam producendam, quotiescumque obiectum non concurret, vel quia non habet virtutè concurrendi, vel quia absens est, vel quia liberè non vult immediatè concurrere, etiam si virtutem habeat, & præsens sit, vel ex quocunque alio capite, & hac ratione potest species impressa concurrere ad speciem expressam Dei producendam quia Deus, etiam si virtutem habeat concurrendi immediatè ad illam, & præsens sit pro sua libertate, non vult concurrere immediatè ad speciem expressam suam sed media specie impressa.

Non multum ab hac ratione distat illasquam P. Arrubal pro hac sententia adduxit, licet argumentum ab illo factum longè alia excedat species, & modo proponendi. Paucis do argumentum Arrub. Deus immediatè, & per suam essentiam est obiectum visibile, & motivum visionis: ergo non potest ad illam movere medio alio: probat consequentiam. Nulla entitas habet media alia forma id, quo gaudet per suam entitatem: sed essentia divina per suam entitatem est motiva visionis: ergo non potest habere hanc virtutem motivam media alia entitate: ergo non potest movere ad visionem media specie impressa. Resp. duo habere obiectum, terminare visionem, & movere ad illam, seu actiue concurrere ad productionem ipsius. Primum semper convenit divine essentia per suam entitatem, siue detur species impressa siue non, ut docet Arrub. & ego admitto. Secundum quod est movere ad visionem, seu concurrere actiue ad illam, potest considerari in actu primo, & in actu secundo: in actu primo convenit Deo secundum suam entitatem posse concurrere ad visionem, & similiter convenit illi immediatè, quia potest, non solum immediatè, sed mediatè concurrere ad visionem, & in hoc nulla est repugnantia. Sicuti non est in eo quod Deus sit productivus immediatè caloris, & mediatè, quia per suam entitatem potest calorem producere, & medio igne. Si consideretur in actu secundo, hoc quod est Deum movere ad visionem, non convenit illi per suam entitatem, sed semper per actionem superadditam procedentem immediatè à Deo, si immediatè movet ad visionem, & mediatè, si movet ad illam media specie. Ad illud, quod addit Arrub. nullam entitatem habere per aliam superadditam, quod per se habet. Resp. Deum per suam entitatem tantum habere, posse immediatè movere ad visionem, & illam producere, quod non habet per speciem impressam, quia per hanc non potest immediatè visionem producere, neque immediatè ad illam movere, sed tantum mediatè. Et de facto movere ad illam, ipsamque producere, non habet Deus neque per se ipsum, neque per speciem impressam, sed per actionem procedentem ab ipso, vel ab specie impressa. Ex qua doctrina rectè defenditur possibilitas speciei impressæ Dei, admissio illo principio, scilicet, nullam entitatem posse habere per aliquid superadditum id, quod per se habet.

CONTROVERSIA XIV.

De Habitibus.



ABITVS est quedam animi affectio illi inhærens, qua adiutus suas elicit operationes. Est enim illarum principium modo postea explicando. Quapropter, ad exactam potentiarum, actuumque naturam cognoscendam, habituum notitia perutilis est, & necessaria. Habitibus est duplex, vnus supernaturalis, & infusus; alius naturalis, & acquisitus. De virtutisque natura in hoc Puncto sermonem instituam.

PUNCTVM PRIMVM.

De habitibus infusis.

HABitus supernaturalis est qualitas quadam à Deo infusa potentia, ut eam eleuet, ad actus altioris ordinis producendos.